

Historia scarlatinae nuper Gottingae grassatae : dissertatio inauguralis annuente illustri ordine medico Academiae Georgiae Augustae ad adipiscendos honores et iura doctoris medicinae ac chirurgiae d. XIII. Decembris MDCCLXXXV / publico examini subiicienda a Joanne Justo Wedemeier.

Contributors

Wedemeier, Joannes Justus.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Gottingae : Typis Jo. Christiani Dieterich, [1785]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nxc7pzipw>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

h.

HISTORIA
SCARLATINAE

NUPER GOTTINGAE
GRASSATAE

DISSERTATIO INAUGURALIS
ANNVENTE ILLVSTRI ORDINE MEDICO
ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

AD ADIPISCENDOS HONORES ET IVRA

DOCTORIS
MEDICINAE AC CHIRVURGIAE

D. XIII. DECEMBRIS MDCCLXXXV.

PVBlico EXAMINI SVBICIENDA

A

JOANNE IVSTO WEDEMEIER

SCHAVEMBVRGENSI.

GOTTINGAE

TYPIS JO. CHRISTIANI DIETERICH.

H I S T O R I A
EPIDEMIAE SCARLATINAE

QVAE HOC ANNO GOTTINGAE

VIGVIT.

P R A E F A T I O.

Rarum quidem ac incognitum morborum genus non est, quam describo, febris scarlatina, neque adeo graue semper et insidiosum, vt de vita aut incolumitate seruanda agatur. Saepe tamen insignem malignitatem habet, tumque eo grauius est, quo magis incurios de morbo aegros inuadit.

Ista praecise, quae in hoc scripto enarratur, malam notam contraxit ex iniqua praecipue huius anni tempestate, quum seueram, in Aprilem vsque protractam, hyemem ver diu expectatum exciperet demum satis austerum, et aestas tandem pluuiosa, in quo rara fuerunt fereni coeli gaudia.

Interdum suam malignitatem dissimulauit scarlatina, interdum vero manifestis armis vitae claustra ita oppugnauit, vt omnem medici vigilantiam artisque arma prouocaret.

§. I.

*Constitutio exanthematica Gottingensis
ultimi quinquennii.*

Quintum circiter annum computant Medici Gottingenses, ex quo inter reliquos morbos mira obtinuit morborum exanthematicorum frequentia et varietas. Primum enim variolae, quarum per quadriennium circiter nullum vestigium fuerat, modo sporadice subgliscebant, modo endemice per urbem et confinia affligebant, praecedentibus aut intercurrentibus his, quae spuriae appellari solent. Ista quidem epidemia, quo minus ostiatim celerius gressu progrediebatur, eo diutius protracta fuit, ut tertium fere annum expleuerit, quae annuo spatio alias finiri solebat. Neque tamen notabilem malignitatem monstravit, ita ut pauci decesserint, nisi infauusta complicatione vitiiati, aut minus commoda aetate decumbentes, aut male denique ac imperite tractati. Quare etiam pauci modo ad infitionem, quamuis tot et tanta commoda per experientiam promittat, confugerunt, ex qua nempe non nisi tunc spes atque salus maxima peti solet, quando naturales variolae atroci peste multos iugulant, aut incolumitatem et venustatem conterunt, aliasue graues labes pedissequas habent.

Variolas ita sensim euanescentes mox excepit morbillosa epidemia, pariter tamen sporadica magis, quam en-

demica. Neque in hac, praeter ista insidiosa phaenomena, quae omnibus morbillis competunt, vltior malignitas notata fuit. Suetae nempe sunt, quas sternunt insidiae respirationi oculisque; fugax est in omni casu miasma, internis partibus, pectori praecipue, si retrocedat ex incauto regimine, adeo infestum; tussis sicca proinde omnes vexat, oculi illacrymantes spiritusque difficultas.

Semestre circiter spatium qui expleuerant morbilli disparuerunt iterum, subsequente paullo post scarlatino exanthemate. Istius vero epidemia memorabilior est, idque ob varia phaenomena, quae non in omnibus ab auctoribus notatis epidemiis obuenerunt, ideoque singularem medentium solertiam poscebant. Quam si in hac nostra tractatione fusius pertractamus, videmur aut istorum medicorum, quae similes epidemias consignarunt, vestigia sequi, aut symbolam aliquam medicis annalibus pro nostra parte adiacere.

Intercurrebant caeterum has omnes epidemias scabiosum et scorbuticum exanthema, impetigines ac miliaria. In quibusdam pagis vrbi adiacentibus integrae familiae scabie vexabantur, si nempe ex incuria de euitando contagio aut ex necessitudine familiarium ex vno in alterum proferperet malum. Medela praeterea, licet concinne in nonnullis administrata, in longum nonnunquam tempus protrahebatur, dum

dum noua faepius ex familiaritate contaminatio contraheretur. Grauiora vero damna illos expectabant, qui festinanter labem abstergere cupiebant, ideoque, neglecta interna medicatione, ad externa protinus auxilia confugiebant. Sulphurea enim vnguenta, quamuis omnem fere lapidem moueant, nisi internis prospectum fuerit antea, ingentes noxas, per omnem vitam vix eluctabiles inferunt, easque eo frequentiores, quo magis a vulgo ob citam efficaciam expetantur. Illud caeterum per experientiam euictum est iterum multorum medicorum placitum, absque externis adminiculis, et speciatim absque sulphure et mercurio praecipitato albo vix vnquam curari posse scabiem, sicut alia plurima chronica exanthemata. Interne etiam optima quaeuis efficiebat sulphur, praemissa, si quae vrgebant, euacuatione. Nuptum fuit faepius cum euphoria sulphur antimonio crudo. Ex istiusmodi medicamine effloruerunt salutariter quaeuis labis reliquiae, insidiosae latentes in humoribus; vt itaque illud ad radicalem pariter ac tutam curationem faceret. In aliis profuit egregie elixir acidum HALLERI, quod nempe similes humorum discrasias potenter corrigit.

Sic per totum illud tempus, maxima, quae medentibus occurrebat morborum pars, exanthematici generis erat.

Historia epidemiae scarlatinae.

Annus agitur circiter, dum morbillos parua satis distantia excipiebat scarlatina, vt per gradus quasi iuisse credas morborum indolem, a discreta cutis commaculatione, ad dispersum vndique aequalem ruborem. Patuit certe ex hac succeffione, arcta, quae aliunde satis iamiam euicta est, vtriusque morbi confinitas.

Nolim equidem acta agere, enarrando tritissima scarlatinae phaenomena, quae vel in quouis practico compendio explanata sunt satis. Ea malim potius commemorare quae vel eminebant symptomata, vel eas diligentius indicare morbi conditiones, quae summam medentis attentionem sibi vindicabant. Historica praeterea epidemiae cuiusdam enarratio, longe aliter per naturam consideranda est, quam methodica dogmatum medicarum proluxa enucleatio.

Stadium contagii.

Sicut vero stadium praeparationis multa communia habet in quauis febre exanthematica, sic etiam multa erant, quae dubiam fecissent prognosin, qualis febris exanthematica secutura sit; nisi vel ipsa eius temporis epidemia, vel pauca ista strictiori sensu characteristica praeludia scarlatinam denunciaffent. Inter haec signa prognostica praecipuum erat insignis affectus *anginosus*, vt in pluribus aegerrima deglutitio

vix remaneret. In aliis ipsa respiratio adeo laedebatur, vt suffocationis periculum incurrerent, qua quidem nonnulli reuera iugulati sunt. Tumebant insigniter tonsillae et parotides etiam, raro tamen suppurabant. Quibus vel per refrigerium, vel per vires languentes retardabatur exanthematis efflorescentia, hi grauius ac diutius faucibus laborabant, quorum nempe metastasis tunc deriuata est. In his salutariter suppurabant fauces, dum sinistre in aliis peripneumonia succedebat in vomitam terminata, aliamue pectoris ineluctabilem labem, aut leucophlegmatia et hydrops comites erant deteriores.

Isti quidem faucium affectus, prout hanc epidemiam, ita et alias notauerunt, vt generaliter fere praecurrens signum scarlatinae constituent. Nouimus quidem, alios etiam morbos exanthematicos acuti generis praecurrere deglutitionis molestiam fauciumque labem, attamen in his neque semper occurrit, neque tantopere vrget, ac in scarlatina, in qua nempe per gradum et periculum ita eminent, vt per se morbum fere primarium grauissimum efficiat.

Praecipuus omnino nuncius sub reliquo scilicet morbi apparatu iste erat anginodes affectus, qui per totum stadium praeparationis continuabat, remittens dein, si rite erumpebat exanthema, protractus vero et ingrauescens, si secus accidebat.

Ex reliquo communi satellitio, si aliud velim speciale signum eruere, ipsius demum cutis conditio esto, sub primo eruptionis initio. In alio nempe disperso quouis exanthemate stigmata emergunt minora primum, in hoc vero latioris ambitus maculae enascuntur statim, imo vniuersalis mox rubor saturatus apparet.

Proinde neque oculi sub scarlatinae apparatu adeo illacrymantur, neque sicca tussicula ac sternutatio adeo infestat, ac in morbillis; neque sudoribus ita diffuunt aegri acido mucidis, ac in miliaribus; neque tantopere aut vomunt aut saliuant aut pandiculantur aut prostrati sunt, ac in variolis.

Adde denique signum, quod per inductionem satis tuto colligitur ex ipsa tunc temporis per populum diuulgata epidemia. Etenim si nonaginta et nouem scarlatina decumbunt, tunc certe centesimus, si pari modo aegrotare incipit, in eundem morbum incidet.

Si e contrario ex nexu epidemiae desumas incipientem aegrotum, in quo caeterum exanthematicum morbum certo certius praeuides, dubius haerebis tamen ob communes nuncios, qualis praecise futurus sit. Omnes medici vno quasi ore confitentur difficilem sub initio prognosin. Quis sub hoc primordio inhorrescunt et prostrati sunt insigniter, artuum torporem experiuntur, vti et capitis grauitatem, dolorem et vertiginem, omnes detinentur vomituritione aut vomitu

vomitu ipso bilioso, deliriis, febre et suspiriis. Multum quidem facit ad scarlatinam faucium iste, quem modo notavimus, insignior affectus, neque minus cutis facies singularis sub prima eruptione, sed pondus addat necesse est istud quod ex epidemia petitur argumentum.

§. 3.

Stadium eruptionis.

Solebat efflorescere scarlatina die a primo apparatu quarto aut quinto. Eo quidem tempore varia erat aegrorum fors. Quo magis nempe patula erant cutis ostia, quo melius sufficiebant vires ac febris, eo liberalius erumpebat exanthema cum egregio morbi leuamine. Si vero a spasmodicis periphericis stricta erat cutis siccaque et scabra, si vires a quacunque causa fractae erant, febrisque vel minus sufficiebat, vel etiam clausa cute nimis ferociter saeviebat, eo tardior et rarior erat eruptio sicque peior conditio imo ominosa.

Si bene res agebatur, evanuit quaevis, quod summum nempe erat, pectoris angustia. Febris etiam mitigata est, una cum mentis emotione ac soporosis affectibus. Nunc enim cutis maculata sensimque uniuersali rubore tincta est. Tumuit leniter corpus, minus tamen, si sudore modico maduit. Tussis etiam, si qua vrgebat, cessavit, uti et capitis dolor, insomnia et anxietas.

Sin fecus accidebat, intus arma colligens morbus, impetum fecit plerumque ad pectus. Ita nunc spiritus stertens difficulter trahebatur cum summa anxietate et pectoris agitatione. Increfcente vltterius malo, tunc vel per tritas leges physiologicas, vel per ipsam morbi delationem in consortium rapiebatur caput, ficque sensuum obnubilatio et sopor comites erant, tandemque apoplexia ipsa agmen et vitam claudebat.

Sub hac iniqua conditione auxilia quaeuis raptim quasi capienda erant, ita quidem, vt nonnunquam vnius horulae, ipsius vitae, iactura erat.

§. 4.

Stadium desquamationis.

Perfisteat solemniter exanthema per alios quatuor vel quinque dies, quod quidem tempus, pro vario rerum statu varia forte peragebatur.

Euanuit sensim rubor et intumescencia ac epidermis desquamata est pro gradu exanthematis ac febris. Alii nempe furfure quasi conspersi erant, alii vero integras lacinias commode deglubere poterant, totaque superficies, deposita vetusta, noua et nitida cuticula induta est.

§. 5.

Valetudo subsequens.

Quodsi bene haec tria stadia percurrerat morbus, vires redibant et integritas, pro diuersa nimirum aetatis et constitutionis ratione.

Ast frequentius fere in hac epidemia labes quaedam remanebat, quam vel eluctabantur sensim, vel per varios gradus ac vicissitudines trahebantur, donec incolumitas contrita omnino esset in omni puncto, aut ipsum demum irrueret fatum. Quare interest, fusius nunc enodare istos secundarios morbos, qui nempe ipsum primarium morbum haud raro quoad durationem et periculum superabant.

I. *Intumescencia.*

Ista quidem praecipuam attentionem meretur ob frequentiam et grauitatem. Inuadebat vero haec leucophlegmatia hos, in quibus aut tarda aut rara fuerat eruptio, ipsumve exanthema iusto celerius defloruerat. Ita scilicet per insidias pugnabat vis morbi, quae in internis claustris remansit. Nonnulli tamen intumuerunt etiam in quibus recte decurrerat morbus.

Satis cito elatus est tumor, non quidem in hac illaue parte incipiens, sed vndique statim aequaliter diffusus. Attamen in scroto ob laxiorem contextum largius deinde effundebatur, vt vesicam quasi aqua repletam et semipellucidam illud referebat. Si modo vires naturae sufficebant, contigit post aliquot dies feri per totam telam cellulosam effusi euacuatio per sudores, diarrhoeam, sed per diuresin frequentius. In debili vero et cachectico corpore, liquatis vltius humoribus, increuit in dies tumor, abiens nunc in verum

hydropem ominosum. Ars valuit multum sub initio, parum in progressu: fontice laesis visceribus effecit nihil. Sed de his adminiculis, sicut de medela in vniuersum posthaec animaduersiones faciam.

2. *Pectoris morbi.*

Sicut per suum decursum vim pectori inferebat scarlatina, ita nunc etiam pedissequos habebat pectoris aegritudines.

Primum enim respiratio difficilis remanebat subinde, stertens et anhelosa. Cuiusmodi vitium vero quum sanitatis integritati deterat multum, viamque pandat hecticae valetudini ac morti ipsi praematurae, flocci sine non est pendendum.

Videtur enimvero acre et fugax morbi miasma pulmonibus summe infestum esse, huiusque quae accidit irritationis causa ac inflammationis, sicque eius etiam, quae hos frequenter sequitur, indurationis, tuberculorum, conglutinationis ad pleuram, ac ominosae tandem vomicae.

Trahebantur eiusmodi aegri sueto ac tritissimo tramite per varios hecticae valetudinis anfractus, vitaeque flammulam aegerrime alebant, donec vltima mox extincta esset scintilla.

Paullo leuior, quamuis haud multum, eorum erat conditio, quae tussim retinebant, aut dispositionem saltem ad tussim et frequentes catarrhorum reditus. Pulmonum labem ex laxitate haec denunciant, fatis per se iam molestam, quibus

quibus praeterea si parum per nouum quendam morbum addatur, ianua aperitur, vnde pedem reuocare labor est.

3. *Aphonia.*

Nonnulli etiam voce orbatī erant post scarlatinam. Illud quidem vix mirum videbitur, quum faucibus adeo infestus erat morbus ab initio ad finem vsque. Etenim subfidente demum harum partium enormi tumore, magna profecto subsecuta est earundem laxitas et debilitatio, et tanta subinde, vt eo ad loquelam munere fungi denegarent. Nervis proinde detracta est probabiliter sua virtus. Si insuper minus recte peracto morbo, metastasis ibidem delata, aut vires vitae enormiter fractae fuerint, causae profecto ad aphoniam aderant sufficientes.

Istius quidem vitii diuersa ratio erat, ita vt vel confusi et inarticulati soni, vel ne illi quidem superessent. Attamen nemini haud eluctabile erat vitium. Etenim restaurato tono et discussa decumbente materia, rediit vox sensim et loquela.

§. 6.

De frequentioribus complicationibus.

Rari sunt in vniuersum morbi simplices ac puri, quos nulla intercurrit complicatio. Ea quidem in scarlatina etiam occurrebat saepissime, quarum praecipua fuit impura intesti-
norum

norum colluuiēs. Complicationem voco eam, quum ad ipsam morbi simplicis naturam certe non pertineat, quamuis eius frequentissimus comes existat. Plurima in hanc adfociationem medicorum effata collegit cl. WELTI *), qui tamen, quum hocce gastricum inquinamentum ad ipsam morbi essentiam adnumerare videatur, nimium fere huic tribuit. Et enim habet certe scarlatina suam specificam et materialem causam ab hac separabilem, licet frequenter inde acuaturnormiter. Haud sufficit ad eam abnegandam argumentum, quod ex methodo antigastrica, proficua, deriuatur.

Sicut morbonae nostri aevi genius est, ut plurimi morbi *bilioso inquinamento* notentur, ita etiam quam saepissime scarlatina exasperationem ab isto accepit. Mirum est profecto, in quantum istud auxerit febris vehementiam, animi emotionem, anginam et respirationis difficultatem. Proinde etiam eruptio minus recte cessit ob periphericos spasmos, quales saepe excitat vitiata bilis, neque praemature evanuit retrogradum exanthema ob internas irritationes a bile nimias.

Quaeuis aliae tamen fordes efficiebant saepius pariter morbi augmentum, quare in vniuersum tanta commoda enata sunt ex debita euacuatione laticis intestinalis, per resoluentia et purgantia, sed per emetica praecipue sub initio statim exhibita.

Alia

*) *Diff. exanthematum fons abdominalis. Gottingae 1784. p. 42. sqq.*

Alia complicatio, vel ipsius potius exanthematis singularis mutatio ista erat, vbi papulae *miliares* enascebantur in rubente a scarlatina superficie. Illud circa collum et in pectore praeprimis accidebat. Papulae formam feminis milii habebant, qualis praecise in ipsis miliaribus obtinet. Aquulam plerumque continentes quodammodo albeabant. Dum per aliquot tres, ad summum quatuor dies persistenterant, evanuerunt iterum, furfurem a desquamata cuticula relinquentes.

Vix inde notari licuit aliquam morbi mutationem, neque in melius multum, neque in peius. Quare etiam critica indoles ipsis tribui non poterat.

Ast sudoribus nunc defluebant aegri, iis praecise, quales in morbo miliari alias eueniunt, eodem pariter odore subacido et mucido inquinatis. Neque hi ad iudicationem faciebant aliquid, quin potius humores pessumdabant, eorumque copiam minuebant. Rarius tamen post has sudationes enormes, tumor iste leucophlegmaticus finito morbo infecutus est.

Insigni frequentia ista occurrebat complicatio, quam per suam naturam scarlatinam miliarem appellare fas est, vel germanice *Scharlachfriesel*.

Cl. PLENCIZ *) eandem praecise complicationem in singulari epidemia notavit. Ille quidem primus esse videbatur

*) *Opp. med. physica. T. III. Vindob. 1762. 8.*

tur cl^{mo} HAKEN *), qui horum in scarlatina miliarium alborum mentionem iniecerit. Sed a FORESTO **) et STORCHIO ***) iam antea obseruata sunt. Varia quidem phaenomena adnotant hi auctores, quae praecise cum his modo enarratis conueniunt. B. VOGELIVS *****) eius quoque meminit, dum morbum scarlatinum bifariam diuidit, in *simpli-*
cem nempe siue *maculatum*, et in *pustularem*. Huius posterioris criteria ipsi sunt pustulae subflauae aut lacteae, magnitudine capitis aciculae, quae exanthemati scarlatino infideant. Ea occasione taxat eos aut plebeios homines, aut ipsos etiam medicos, qui illud pro veris miliaribus habeant, a quo tamen toto coelo differat. Attamen tanta haud apparuit in hac saltem epidemia differentia, ut quoad formam potius pustularum et sudorum specificum odorem nullum interfuisse a miliaribus albis videretur discrimen. Mutauit quidem rerum faciem, quae primarius morbus erat, scarlatina, aut secundarius sua sibi vindicauit iura quoque, quae ad miliaria pertinebant reuera, quod visum est pariter modo allegatis auctoribus. Sed faciles sumus in verbis dum conueniamus in re.

Alii

*) *Diff. de Scarlatina. Gottingae, 1781. pag. 18.*

**) *Observ. L. IV. 41.*

***) *In peculiari libro. Goth. 1742.*

****) *De cogn. et curand. morb. p. 112.*

Alii proinde familiares morborum in puerili aetate comites, et nostrum morbum comitabantur. Sic *dentitio* varios vexabat malo omine. Etenim laceffito iamiam per scarlatinam materiam neruoso systemate, nouos omnino et graves stimulos addebat dentium laboriosa eruptio. Spasticam indolem ex hac causa frequenter induebat morbus; sicque tetanus obortus est, aut emprosthotonus aut qui frequentior erat opisthotonus. Ipse truncus in aliis insigni vi profiliuit, artusque horsum et vorsum proiecti sunt, sicut aliorum fors vera eclampsia erat. Sub hac rerum facie euaserunt pauci.

Ab hac conditione haud multum distabat complicata cum *vermibus* scarlatina. Citra vermium enim intestinale tabum idem fere ex his neruorum stimulus subortus est. Neque licitum erat vermes impugnare acriter, sed consopire potius pro induciis ineundis ratio poscebat.

§. 7.

De indole contagiosa.

Si strictissimo sensu accipiatur contagium, vt nempe inuoluat miasmatis specialis praesentiam, tunc dubitare fas est, an vere contagium habeat scarlatina. Si vero et illum morbum contagiosum dicere licet, qui in familiarum lectique focios, aut contubernales homines proserpit, tunc vere contagiosa est. Certe eius euicta est in hac sicut in aliis epidemiis communicabilis indoles, in qua quidem determinatione

acquiescet quisque, qui alias ex verborum significatione controuerfiam mouere volet.

Vidimus nempe, dum vnus ex familiis fcarlatina afflictus erat, alios familiares sub finem morbi de faucium moleftiis primum conqueri, deinde febricitare, fenfimque ipfa fcarlatina decumbere. Illud quidem adeo frequenter accidebat vt de communicabili morbi natura dubitare nimium effet. Raro aliquis intactus remanfit, qui lecti aut contubernii focius erat, aliudue quoduis arctius cum decumbentibus commercium habebat.

§. 8.

Selectae annotationes de medela.

Si leuis erat morbus, vix vllum pofcebat medicamentum apparatus. Tunc enim illud cauendum erat tantum ne vlllo modo refrigeretur aeger, aut in diaeta peccaret. Talis fuit circiter epidemia, quam SYDENHAMVS *) descripfit, cui vix aliud efle videbatur fcarlatina, quam mediocris sanguinis efferuefcencia, quae morbi nomen vix meretur. Sic habet ille: *Satis habeo, vt aeger a carnibus in folidum abftineat, et a liquoribus fpirituofis quibuscunque, tum vt neque vquam foras prodeat, neque fe perpetim lecto affigat. Cute iam penitus defquamata, et ceffantibus fymptomatibus, e re fore exiftimo, vt purgetur leni aliquo medicamento, aetati atque viribus accommodo.* Simpliciter

*) *Opp. med. T. I. Sect. VI. Cap. 2. edit. Genev. 1736. pag. 162.*

plici hoc et naturali plane methodo, hœc morbi nomen, (vix enim altius assurgit,) sine molestia, aut periculo quouis facillime abigitur. Cum e contra si plus negotii aegris faceffamus, vel lectulis continenter incarcerando, vel cardiacis aliisque remediis superuacaneis nimis docte, et (vt vulgo videtur,) secundum artem supra modum ingestis, morbus statim intenditur, et aeger non raro, nulla alia de causa, quam nimia Medici diligentia, ad plures migrat.

Sic expressit candide et egregie animi fui sensa, qui vates est in re medica, SYDENHAMVS. Et in nostra epidemia multorum fors ita erat leuis, vt satis fungeretur suo officio Medicus, qui nihil amplius nisi SYDENHAMI praecepta exercebat.

Ast in plures ferocius fauebat morbus, qui tunc omnem medentis dexteritatem et curam exigebat. Istiusmodi exasperationes vix vnquam ex morbi simplicis natura enatae esse videbantur, sed ex infauis potius complicationibus, quales §. 6. enumerauimus. Ex his nempe sicut ex peruerso quouis regimine aut tardata etiam eruptione aut retrocessione exanthematis, graua ista et infidiosa symptomata et subsequentes morbi fontem habebant, quae §. 2. 3. 4. et 5. leguntur.

Exigit omnino rei euicta per experientiam grauitas, vt selectas aliquod circa medelam annotationes, ex hac epidemia depromtas, adnectam.

Vbi itaque sub morbi initio impura *colluvies abdominalis*, quae *biliosa* erat plerumque, vrgebat, tunc eo magis conducebat quanto citius exhibita fuit, emetica medicina. Ista enim eiecit salutariter copiam eius laticis, simulque effecit, quae in votis erat, ad cutem propulsiōnem, vt, relaxata etiam cutis strictura, libere nunc effloruerit exanthema. Ob hocce quidem eruptionis adiumentum etiam tunc emetica exhibere fas erat, quando nulla prior ad emesin indicatio apparuit. Sed in plurimis tamen et haec aderat. Caeterum soluere eas antea, quae tenacius haerebant sordes, trita ars iussit quidem, attamen non nimium temporis terendum erat hisce praeparationibus.

Probavit medentibus experientia, multo melius semper eorum res agi, quorum cura ab emetico inceperat. Et in ipso morbi decursu salus saepe vomitorio innitebatur, quando vel euomendum supererat aliquid, vel vis morbi depellenda erat a partibus internis, vel etiam retrogressum exanthema reuocandum erat.

Sed lenis praeterea alui expurgatio per salina anti-phlogistica egregium auxilium praestitit, si modo id cautum fuerit, ne ex fortiori purgatione vires infringerentur, aut a peripheria nimium reuocarentur humores. Scarlatina, quam satis recte dixeris cum Clar. HAKEN *) erysipelas universale

*) *Diff. de scarlatina. Gottingae 1781. p. 31.*

versale, inflammatoriae indolis est, et semper fere biliosae simul profusae, quare antiphlogistica cum aptis euacuantibus tanta praestant. Citra haec multum iuuat etiam potus aqueus copiosus, tum ad corrigendas et diluendas rudiores fordes, tum subtiliorem pariter morbi ipsius in humorum orbita materiam mitigandam.

Lenia diaphnoica addantur, ut mite calcar tardantis exanthematis. Optimum ex his est infusum calidum florum sambuci, aut potio RIVERII ex aceto vini cum sale tartari saturato, adiecto melle et aqua florum sambuci. Magis urgenti indicationi commode satisfecit spiritus MINDERERI.

Sed pessima erat aegrorum conditio, quando vis morbi in *pectus* irruebat aut *caput*, adeoque vel catarrhum suffocatum minitabatur, vel apoplexiam ex comate et sopore. Sub hoc rerum statu raptim quasi sed prudenter tamen consilia capienda erant.

Quae vero artis subsidia in pectoris capitisque oppugnatione summum auxilium praestiterunt, vesicatoria erant. Illud vero per multifariam experientiam in hac epidemia euictum est, non ipso pectori affecto imponenda esse vesicatoria, sicut in aliis pectoris morbis fieri consuevit, sed suris potius. Vix unquam enim ex pectoris vesicatorio eius liberatio apparuit, sed maior plerumque oppressio. Suris vero applicata post aliquot horas morbum a pectore reuocarunt effica-

efficaciter. Ista quidem animaduersio summam profecto attentionem ac ulterius studium meretur, quum hic de vita agatur, vel cito perdenda vel seruanda.

In capitis affectu, quem sopor denotabat aut delirium, summum pariter auxilium petendum erat ex vesicatoriis in furis.

Nolim temere in utroque affectu propinare emetica, quamuis multum promittere videantur. Certe alia antea deriuatio expedienda erit, vel per clysteres et purgantia, vel per venaesectionem, vel per haec etiam vesicatoria. Alias ex vehementi corporis concussione impetus ad partes oppug-natas sicque sub ipsa emesi periculum augetur.

Nolit etiam quis sub hac vitae discrimine tempus irreparabile terere hirudinibus applicatis aut sinapismis. Et enim si sanguinis euacuatione opus est, tunc venaesectio longe praestat, si reuulsione ad ignobiliores partes, vesicatoria.

In angina vero urgente ipsi collo circumdata vesicatoria longe melius conducebant. Plures fuerunt, qui praesentaneo suffocationis periculo post aliquot iamiam horas erepti sunt his vesicatoriis. Dum modo enim extus attrahere incipiebant, statim fere euauit faucium strictura. Bene sentio quidem, fore quosdam, qui controuersiam moueant, quare eadem vesicatoria, affecto pectori imposita, nocuerint, dum collo applicata anginae prospexerint. Et veri quidem speciem

ciem habet omnino haec dubitatio, at multiplici medentium obseruatione euicta est in hac epidemia ista animaduersio, vt iniquum foret nuda opponere ratiocinia.

Tumor leucophlegmaticus, qui post octo plerumque dies morbum frequenter sequebatur, optime discussus est leni catharrsi ex salium familia. Quodsi vero ad ipsum hydropem vergebat, squilla adiecta est cum euphoria. Sequentes formulae plurimum efficiebant. $\mathcal{R}$. Salis mirabilis Glauber. aut Sedlizenfis aut Anglicani, et Oxymellis squillitici ana vnciam vnā, Nitri drachmas duas, aquae petroselinī vncias sex. Huius miscelae in adulto dosis erat quouis bihorio cochlearia maiora bina. Vel sequens puluis: $\mathcal{R}$. Cremoris tartari drachmas sex, florum sulphuris simplicium drachmas tres, nitri drachmas duas et radicis squillae grana triginta duo. Misceantur diligenter, fiat puluis, et diuidatur in doses sedecim. Harum dosium quatuor de die adultus sumsit. Pro aetatis et constitutionis ratione mutandas esse caeterum quantitates, non est, quod moneam. Sub hac administratione cessit tumor vel catharrsi excitata vel diuresi. Ad posteriorem praecise multum pariter faciebat puluis baccarum iuniperi vel eius roob aut infusum. Inungere praeterea abdomen praetumidum et dolens oleo oliuarum, cutis nimium tensa et spastica suavit. Effecit ista unctio tum spasmorum relaxationem, tum dolorum etiam lenimen ipsamque detumescen-

D

mescentiam. Inferiores extremitates fricare conducebat, fasciisque methodo THEDENII inuoluere.

Ad *aphoniam*, si qua post scarlatinam accideret, nihil valuit magis, quam fractas vires apta cautaque nutritione et roborantibus restaurare. Externe autem tonsillis illitum fuit cum euphoria linimentum volatile.

Molestissimae erant in scarlatina *vermium turbae*, tum ob neruosa symptomata ab ipsis excitata, tum ob istam intestinorum verminosam spurcitiem, ex qua humorum vitium febrisque augmentum enascebatur. Nihilominus caute mercandum erat cum his infestis hospitibus, quorum quippe expulsio tentanda non erat sub ipso scarlatinae decursu. Abesse itaque debebant semen cynae, jalappa, mercurius, aliaeue fortia anthelmintica, quae sicut vermes impugnatos excitabant, ita et morbum per suam minus appropriatam indolem augebant. Melius prospectum est his aegris salinis medicamentis, vtpote quae minus infesta ipsis vermibus, mucum tamen incidunt et euacuant. Enemata proinde ex lacte et melle ad inducias ineundas valebant multum.

THESES.

I.

Arthritis non ex materia sui generis oritur.

II.

Temperamentum saepe pro morborum causa habendum est.

III.

Qui continuo medicamentorum usu sanitati student, male sibi consulunt.

IV.

Morbi mortalibus connati sunt.

V.

Venaesectio in malo hysterico cautissime adhiberi debet.

VI.

Medicamenta mineralia terrea magnae saepe efficaciae sunt.

VII.

Venaesectio in febribus inflammatoriis ad deliquium animi usque protracta, nocet; quin polyporum generationi occasionem praebet.

VIII.

Trepanatio cranii tam in suturis quam aliis locis institui potest.

IX.

Phrenitidem et paraphrenitidem non inflammatorium sed biliosum morbum esse, arbitror.

X.

Ciborum digestio pro subtilioris fermentationis specie habenda est.
